Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorvm Vita, Moribvs, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Cap. LXXXVI. Cantvs Animi Pertvrbationes sedat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

Visual Library

CAP. LXXXVI.

CANTVS ANIMI PERTVRBATIOnes ſedat.

§. QVarta vtilitas quod idem Eccleſiaſticus cantus prauos animi affectus componit ac perturbationes mitigat & reſtinguit. P*ſalmus, ait S. Baſil. animæ eſt tranquillitas, arbiter ineundæ pacis, cuius annutu exundantes & tumultuariæ cogitationes ſe contrahunt & conquieſcunt Animæ. Siquidem vim ad iram propendentem edulcat ac præmollit* P*ſalmus: cum contra fræno temperantiæ coerceat eam, quæ ad effrenem laſciuiam deuergit.* Et S. I*uſtinus. Eccleſiaſticus cantus affectiones & concupiſcẽtias carnis ſedat, cogitationes malas inimicorum, quos cernere non eſt, ſuggeſtione oborientes amolitur.* Agnoſcit & hoc de muſicis modis ad pietatem compoſitis P*hilo lib. de vict. offic. cum ait: Excantant paßiones animi, & affectus componunt immodicos.*

CAP. LXXXVII.

DIVINVS CANTVS ORCĪ extricat laqueos.

§. QVinta vtilitas ex his duabus proximè explicatis conſequitur, quod religioſus cantus ſit dæmonum profligator. Tartarei ſiquidem ſpiritus vitiis & perturbationibus noſtris ſedem in animo quærunt, & in peccatis conſtituunt, cantus verò pius & peruerſis affectionibus ſedationem affert, & hominẽs ſceleratos ad peccatorum deteſtationem & contritionem, qua noxæ tanquam à ſuo contrario, expelluntur, prouocat, quemadmodum luculenter docuimus. Conſequens eſt, vt peſſimi illi genii ſacro cantu depellantur.

Neque